Politicos, non planè extra bivium posita, extantq; variorum definitiones varię. Ludovicus Septalius, in eleganti Tractatu, quem de hac materiâ conscripsit, ferè per totum librum primum, differit de definitione rationis status, eamque post fusè relatas ab se ac refutatas aliorum opiniones, tandem definit capitè octavo dicti lib. 1. pag. 34. quòd sit habitus intellectus Practici, qui dicatur Prudentia vel Sagacitas, per quem homines post consultationem, deliberant de mediis modisque, quibus introducere vel conservare possint, illam formam dominii, in quâ sunt constituti. Non inficior, etiam hanc definitionem, si ἀκειβίαν sequi liberet, habituram suos nævos. I. quia sagacitas, est terminus indifferens ad habitum moraliter bonum vel vitiosum, adeoque non debet opponi Prudentiæ, sed potest de eâ prædicari; Ratio est, quoniam sagacitas nihil aliud significat, quàm perspicaciam intellectus, per quam facile animadvertimus, quid conducat ad certum finem, ponderatis circumstantiis; Quoniam igitur ex accidenti evenit, utrùm finis iste in genere mo-